Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 2359
Quelle:
Copyright:

ve expressum fuisse, legendumque pro A1. potius II. Adhaerent ad calcem Notata quaedam praedicabilia.

VIII. *fol.* 152. Sermones IV. Primus in illud *Lucae* 10. *Beati oculi, qui vident, que vos videtis* &c. Alter in illud *ibid. Diliges dominum deum tuum* &c. Tertius in illud *Luc.* 17. *Cum iret ihesus in iherusalem* &c. Quartus in illud: *Surge, vade, quia fides tua* &c. *ibid.*

IX. *fol.* 164. Sermones III. habiti ad Academicos. Primus in laudem S. Scripturae, in illud: *Illuminabit abscondita tenebrarum. I. Cor.* c. 6. Initium: *Vt diem lucis coruscante fulgore nubilose mentis acies* &c. Alter in laudem S. *Augustini*, in illud: *Loquebatur recte. Matth.* 7. Initium: *Celeberrimus reuerendissimi Patres — pater noster et pontifex Augustinus* &c. Tertius iterum in laudem S. Scripturae, in illud: *Fecit beseleel archam de lignis sethim* &c. *Exod.* 37. Initium: *Deus omnipotens qui est rerum omnium per sue bonitatis affluentiam* &c. Adhaerent quodlibeticae Quaestiones et Observata Theologica.

X. *fol.* 174. Sermones alii V. quorum Primus de vita et moribus Sacerdotum. Thema: *Videte quomodo caute ambuletis. Ad Ephes.* 5. Initium: *Doctor venerabilis Hugo de sancto Victore in principio sui libri de bono conscientie* &c. Secundus habitus in Actu Academico. Initium: *Reuerendi Patres. Magistri. fratresque in christo dilecti. Auxilio diuine maiestatis confisus de vestraque supportacione benigna presentis actus seriem quadruplici membro intendo condiuidere.* Membra haec sunt: Dei Invocatio, Laus S. Scripturae, Quaestionis Discussio et Actio Gratiarum. Tertius de Conceptione B. V. M. Thema: *Ad nostram doctrinam scripta sunt. Ad Rom.* 15. Initium: *Ad laudem alme virginis marie matris omnium saluatoris* &c. Quartus brevior in Commendationem cujusdam Examinati *Facultatis*, ut videtur, *Medicae*; haec enim mox sub principium in ejus laude ponuntur: *Velut bonus loycus dissoluit logicalia litigia. Velut bonus phisicus cognouit phisicalia principia. Velut bonus medicus docuit corporalia remedia.* Nihil tamen additur, unde Virum noscas. Quintus in laudem S. Scripturae instar Προλεγομενων in expositionem *Cantici Canticorum.* Thema: *Fauus distillans labia tua* &c. *Cant.* 4. Initium: *Reuerendi Patres* &c. *Quoniam vt ait venerabilis Hugo de sancto victore dydascolikon l. 4. c. 4.* &c.

XI. *fol.* 194. Quaestiones II. Theologicae ventilatae, quarum Prior: *Vtrum per solum exercicium studij theologie aliquis purus viator Deum esse iustum premiatorem possit cognoscere?* Altera: *Vtrum omne verum Theologicum perfectius cognoscatur per Theologiam. quam per quam cunque aliam scientiam?*

XII. *fol.* 207. p. 2. Commentarius imperfectus in *Petri Lombardi*